

# Il Beato Pier Giorgio Frassati Patrono delle Confraternite d'Italia

---

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO  
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. CD 488/90

## DIOECESIUM ITALIAE

Beatum Petrum Georgium Frassati, qui christifidelis laicus atque "confrater" seu sodalis Societatis taurinensis a SS.mo Sacramento et Confraternitatis a SS.mo Rosario in Pollone praeclarum exstitit exemplar in pietate eucharistica et mariali et in fidelitate erga Ecclesiam magno animo testificandis necnon in misericordiae operibus generose et gaudenter exercendis, Confraternitates dioecesium italicarum peculiari cultu prosequuntur.

Inde Eminentissimus Dominus Hugo Cardinalis Poletti, Praeses Coetus Episcoporum Italiae, Confraternitatum dioecesium italicarum communia vota excipiens, electionem Beati Petri Georgii Frassati in Patronum apud Deum earundem Confraternitatum rite approbavit. Idem vero, litteris die 20 maii 1990 datis, enixe rogat ut electio et approbatio huiusmodi, iuxta *Normas de Patronis constituendis* et ad normam Instructionis de "Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis", n. 30, confirmentur.

Congregatio porro de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice IOANNE PAULO II tributarum, attentis expositis, cum electionem et approbationem ad iuris praescriptum peractas esse constet, precibus annuit atque **BEATUM PETRUM GEORGIUM FRASSATI** Confraternitatum dioecesium italicarum **PATRONUM** apud Deum confirmat, omnibus cum iuribus atque liturgicis privilegiis consequentibus.

Insuper libenter concedimus ut in celebratione Missae in honorem praedicti Patroni, quotannis die 4 iulii gradu *festi* in Confraternitatibus peragenda, adhibeantur textus pro archidioecesi Taurinensi die 8 maii 1990 (Prot. CD 183/90) confirmati, et huic Decreto adnexi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 8 iunii 1990.

+ LUDOVICUS KADA  
*Archiep. tit. Thibicen.  
a Secretis*

EDUARDUS Card. MARTÍNEZ  
*Praefectus*

\* \* \*

## TAURINENSIS

### *Collecta*

Deus, qui Beato iuveni Petro Georgio  
gratiam largitus es Christum reperiendi  
in fide et caritate cum gaudio,  
praesta quaesumus ut, eo intercedente,  
et nos evangelicarum Beatitudinum spiritum  
inter homines hodierni temporis diffundere valeamus.  
Per Dominum.

### *Colletta*

O Padre, che ha donato al beato giovane Pier Giorgio Frassati  
la gioia di incontrare Cristo  
nella fede e nella carità,  
per sua intercessione concedi che anche noi  
possiamo diffondere tra gli uomini del nostro tempo  
lo spirito delle Beatitudini evangeliche.  
Per il nostro Signore.

*Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina  
Sacramentorum, die 8 maii 1990.*